(c) *Pulsus Vrina certior.*

ADesto quisquis inclytam Aesculapii
Domum, genusque dehonestas turpiter,
Qui cum bis altè aut ter vibrasti matulam,
Et iam notasti singula ad clarum diem,
Repente fati magnus incerti arbiter,
Vitam, morasque mortibus pronuncias.
Quin & labenti de quoto nosti gradu
Impulsa cervix pænè non opis tuæ
Egebat: & (si fama non mendax refert)
Mox vt fidelem matulam olim inspexeras,
Dixti, profecto mi caput valde dolet.
Non ipse Phæbus arte quamlibet potens
Tam certa dat responsa, sivè Pythiæ
Totum furentis pectus admisit Deum.
Nam quis caput non morbidum putet tibi,
Cui cerebrum omne iamdiu prorsus perIt ?
Verùm (ipse ô quicquid tam libenter inspicis,
Non medice iam sed matula) audi paucula:
Primusque mentis aufer ægritudinem,
Postillà morbis & alios leves licet.
Vrina fallit sola morbos indicans,
Quam obstructio meatuum, atque pharmaca
Recepta, sæpe victus, aut labor gravis
Mutant, colore, odore, crassitudine.
Vidi propinquum morti & Orci in limine
Cui acuta vires febris & vitam simul
Auferre festinabat, vrinæ tamen
Non vlla mortis signa vel febris dabant.
Contacta vena protinus fecit palàm
Pulsu frequenti, & languido, mortem, & febrem.
Quin sæpe pestis occupat vitalia,
Laterque venis abdita: vrina omnia
Concoctionis signa, quæ adsolent, habet:
Galene quicquid est secus visum tibi
His præditum prorsus perire neminem.
At cordis omnes pulsus haud fallax docet
Adfectus, atq; virium constantiam:
Quam quisque nescit, improbè medebitur.
Ergo adhibeto *certiorem* regulam
Vrinis: atque *Pulsuum* discrimina
Servato quisquis nomine augusto tumes.
Medicumq; iactas, aut ob hanc audaciam
Phæbus plus vnâ faxit vt sis literâ.

(d) *Gravior ex aere quam ex alimento ægrotatio.*

SPirat homo morbos, morbos vorat, omnia fatis
Plena, nec in mediâ tuta salute fides.
Inficit aura animam, dum cingit, & intrat, & exit:
Nec cibus ipse minus corpus alendo necat.
Aura cibusque sinu quos tu geris inscius hostes
Hospitis interitum, quærit vterque, sui.
Ambit vterque citos sat iniquâ fraude triumphos,
Cedat vati prior hic perfidiosus honor.
Pestis ab hac parte, & morborum epidemia turba
Quos nec adhuc medici sustulit vlla manus:
Qui Iovis irati fiunt à vindice dextra
Placatique demit quos medicina Iovis.
Febris & Arthritis mensas comitantur opimas
Et quot habent duplices, fercula lauta, dapes.
Aura graves generat morbos, at crapula longos
Hæc graviora facit tempus, & illa modus.
Sint mihi queîs stomachus potius quàm pulmo laboret,
Quàm cum morte brevis, sit sine morte tenax.
Sit mihi vulgaris, certo medicamine, morbus
Quàm dubius, qualem nec manet vlla salus.

Aeris hæc vitio fiunt, ast illa palati
Aeris Ergo, cibi sunt graviora malis.